



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XLI. Alexandro III. conculcante collum Friderici Imperatoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)



# CONTROVERSIA XLI.

D E

## *Alexandro III. conculcante collum Friderici Imperatoris.*

**F**ridericus I. Imperator, à colore barbæ dictus Anobarbus, seu Barbarossa, robore corporis, laborum patientiâ, magnitudine animi, consilii solertiâ, præstantiâ memoriæ, bellicis artibus, ac rerum gestarum gloriâ cuilibet veterum Ducum par; imo & heroum Æmulus meritò dici potuisset, nisi pernicioso schismate funestique belli tumultibus Ecclesiam in capite & membris vehementer concussisset, ac diu multumque afflixisset. Eum Alexander III. Pontifex Maximus, tum paternis adhortationibus, tum intentatis minis & censuris Ecclesiasticis ad saniora reducere conatus fuit: ast quod S. Chryostomus *hom. 6. Epist. ad Tit.* ait, inter saxa seminare contendit: quin potius Fridericus ex irrationabili & inflexibili mentis obstinatione magis obfirmatus, Pontificem ubicunque morantem omnibus modis persecutus fuit. Fertur hic tantem Venetias profugisse coqui sui indutus vestibus; ubi in quodam monasterio hortulanum egerit; haud multò post tamen recognitus in honore congruenter habitus fuerit. Hoc cum Impera-

tor; qui reuerat accipere disciplinam, induraveratque faciem suam supra Petram *Jerem. 5* rescivisset; Ottonem filium suum, ut Papam comprehenderet, cum armata classe 60. trirremium, Archi-Talassum Venetias destinavit: cui Dux Venetus Sebastianus Zani cum 30. trireribus occurrens, post acerrimum conflictum in partibus Istriæ Cæsaris classem dissipavit, ipsumque Ottonem, in loco, qui *La Ponta di Salvore* nominatur, comprehensum Venetias abduxit. Id quod Pater indignissimè tulit, qui filio præceperat, ne se inconsulto conflictum iniret. Veneti autem cum non ignorarent, Imperatorem omnia moliri ut filium liberaret, hunc ipsi remittunt: sed ea conditione, ut Patri reconciliationem cum Pontifice omnibus, quibus posset, modis, persuaderet: aut eo renuente, juramento adstrictus, rediret. Exortatus tandem Cæsar Venetias ipse met accessit, ubi de pace actum fuit: & quàm promptè Fridericus eam petiit; tam libenter Alexander ipsam impertivit, quando Anno Æræ vulgaris 1177. die sancto Apostolo Jacobo sacra, fuit Imperator à Censura

sura excommunicationis absolutus & sacra Synaxi de manu Pontificis resectus; demum post acceptam benedictionem benignissimè assumptus fuit.

Hæc passim à Scriptoribus citimæ Antiquitatis relata leguntur; à quamplurimis etiam litteratis tanquam vera sunt habita. At verò Cardinalis Baronius *Annal. tom. 12. ad An. Christ. 1177.* apertissima veritate demonstrare conatur, Alexandrum III. nequaquam necessitate compulsus, fugâ lapsus, habitum Pontificio mutato in coquinatum indumentum Venetias, delituisse prius in monasterio: sed potius Pontificia autoritate, libera facultate, consilio tamen Wilhelmi Regis Siciliae delegisse libertam Civitatem eandemque securam, ad quam invitaret pariter Imperatorem, rogantem ea quæ pacis sunt: se autem in eandem urbem contulisse classè honorifica, sibi ab eodem Rege eum in finem comparata: Fridericum è contra, à Mediolanensibus victum, debuisse latebras quærere, vestemque, ut falleret intuentes, mutasse, demum pro pace honorificentissimam Legationem ad Alexandrum misisse Anagninam: cujus occasione de mutuo congressu ad pacem decernendam tractari cœptum fuerit.

Præter hanc dissimilem & magnopere inter se diversam rei gestæ narrationem aliud passim perhibetur contigisse. Nimirum, quod Imperator toto corpore humi prostratus fuerit coram Pontifice, cujus is collum pressisset, dicendo versum, ex Psalmo 90. *Super aspidem & Basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.* Cui Fridericus respondisset. *Non tibi; sed Petro;* ipse verò Pontifex responderit. *Et Petro, & mihi.*

De hujus narrationis veritate hisce potissimum temporibus disceptatur. Non pauci, & præcipuè ii, qui Præsulem Vaticanam vatianano odio insectantur, hæc gesta haud gravè adoptant velunt verissima, eaque pro-

pugnant, ut insuper nanciscuntur, quod in Pontificatu Romano fugillent. In hac turba sunt Joannes Lampadius *Mellif. Hist. part. 3. pag. 247.* Carion. *Chron. Lib. 4.* Christop. Pezelius, Christian Matthias *Theat. Hist.* Joan. Cluverus *Hist. tot. Mund. Epit.* Joan. Lætus in *Compendio Hist. univ.* Henricus Guthberletus. Marius Boxhornius *Hist. Univ. Hofmannus Diss. de Tyrann. ignominia &c.* Anno 1661. Joannes Daniel Artopeus *Dissert. Anti-Baron.* Lipsiæ 1673. Joan. Gerhardus *præfat. Confess. Cath.* Accedunt recentiores Christianus Everhardus Weismannus *Hist. Eccl. Nov. Test. vol. 1. secul. 12.* citans quendam Lautensackium in quadam Dissertatione id probare conantem: Christianus Kortholtus *Hist. Eccl. Nov. Test. secul. 12.* Ab his aliisque in probationem adducuntur tria argumenta.

I. Ex antiquissimis & probatissimis actis, publicisque monumentis vindicatur rei veritas Alexandrum Papam Imperatoris Friderici ad terram prostrati conculcasse collum. Refertur namque, quod Pontifex ille Legatis Friderici pacem poscentibus responderit. *Quod si inter oves, quas Deus Petro pascendas commisit Imperator numerari velis; quid amplius differt eidem Principi Apostolorum cervicem suam flectere & Catholicae unitati sese aggregare?* Cum ergo Fridericus à reversis intellexisset Legatis, sibi neququam pateret aliam ad reconciliationem viam, quam in votis habebat; libuit, quod videbat necesse, seque exoticae postulationi Pontificis conformavit, cum ea tamen protestatione, quod hunc submissionis actum Apostolorum Principi, cujus Alexander successor erat, unice præstaret.

II. Venetiis in Ducali Palatio sancti Marci visitur vetustissima imago, quæ Historiam illam exhibet, quam Venetorum constans & perpetua traditio ad nostra tempora traduxit & conservavit. Præterea Franciscus Sanfovinus Italus Scriptor *Hist. Italicè edita*

1581. in Descriptione Urbis Venetæ extare refert lapidem in eadem Urbe, in quo Fridericus prostratus & conculcatus jacuerat. Eiusdem lapidis meminit in *Itiner. Ital.* Mabilonius, quem observat rubrum, eique laminam æneam insertam, in qua verba. *Super aspidem &c.* leguntur. Maximilianus Misson in *Itinerar. Epist. 17. Venetus 14. Februarii Anno 1688.* perhibet, quod tibi in Xysto seu porticu extra templum S. Marci ostensum fuerit lapidis porphyritici fragmentum, quod in medio pavimenti locatum fuerat ad designandum locum, ubi Alexander Cæsaris collum pede presserat.

III. Factum probatur fide Scriptorum innumerabilium apud eundem Missonium: adeo ut Ludovicus Moreri in *Diction. V. Frideric. I.* velit de eo dubitari non deberi. Saxo Grammaticus illius ævi Historicus nobilissimus, Præpositus Roschildensis *Hist. Lib. 14. in fine* hæc depromit. *Schismatis controversia, ad stipulante Casare Friderico pertinacissimo, Germanorum errore compluribus annorum circulis alita, veri Pontificis Alexandri pedibus proculcata succubuit.* Owo presbyter Ravennatensis, qui haud diu post ea tempora vixit, recitat illa, quæ inter Alexandrum & Fridericum gesta sunt *Lib. Hist. 7. & 8.* atque inter ea, quod Papa prostrati Imperatoris collum pede superposito calcaverit. Hieronymus Bardus Florentinus Ordinis Camalduensium adducit Codicem Chronicorum, qui ex testamento Cardinalis Bessarionis obvenit Bibliothecæ Venetæ, in quo Historia Friderici I. habetur, haud dubium desumpta ex antiquioribus Chartophylaciis. In eo autem legitur de conculcato, sub ille verborum tenore, Friderici collo per Alexandrum Pontificem. Joannes Bodinus Historiographus *Lib. 1. cap. 10.* prolixè & patheticè factum exponit. Joannes Stella sacerdos Venetus, qui vitas Pontificum Romanorum compilavit, & ab Eruditis in pretio habetur, ut indubitam

Historiam narrat. Joannes Loredantus Patricius Venetus in *vita Alexandri III. pag. 131.* Versionis Germanicæ, quæ An. 1713. Coloniae prodit in 8. rem confirmat. Et iterum *pag. 166. ibid.* Joannes Saubertus Norimberg. *Hist. Bibl. Reipub. Norimab.* citat pro ejusdem rei veritate Olmum Italum ex vetustissimis monumentis & archivis fide dignis id probantem. Clarius Heumannus Dissertatione hac de re Anno 1710. alios producit. Plurima etiam de eadem collegit. B. Gotth. Struvius. *Hist. German. Dissertat. 17.* Carion in *Chron. loc. cit.* ex aliis prodit, quod in contingencia facti inter alios præfens Dux Misniacensis hanc Cæsaris probrosam abjectionem indignissimè tulerit. Alii Recentiores observant, quod vix duobus abhinc sæculis narratio hæc de famosa conculcatione in dubium vocari cœperit, Joannem Aventinum negativam sententiam de eadem re proposuisse, atque ab Italis in Germanorum contumeliam fuisse confictam animadvertit Conradus Rittershusius in *Not. ad Jov. &c.*

Qui non tam facilè sibi persuadere poterunt truculentum adeo facinus, penitusque alienum à placido Alexandri Pontificis genio, tot actionibus contestato, accuratiori in rem indagine perscrutantes falsà narrata deprehendunt: quod & æquus censerebit arbiter, qui sequentia observabit argumenta.

I. Popularis illa traditio de actione fastuosa multumque abhorrente à Christi Vicarii mansuetudine, sufficiente ad fidem faciendam destituitur testimonio. Si quid enim hujusmodi contigisset, non defuissent vel Pontifici, vel Imperatori adhaerentes Scriptores, qui illud litteris mandassent, posterisque tam exoticum factum tradidissent. Certè ex Germanis, qui ante Annum 1450. vixerunt, suasque Lucubrationes evulgârunt, ne unicus quidem reperitur, qui hanc rem ad totius Nationis Germanicæ dedecus

dedecus pertinentem notaverit. Silent quoque variarum Nationum Historici alicujus nominis, Platina, Rolevinck, Genebrardus Opmerus, Siffridus. Joan. Bapt. Egnatius &c. De iis verò, qui factum narrant, infra respondebitur. Pressius interim tractatur hoc negativum argumentum.

II. Alexander Pontifex litteras dedit Venetiis 3. Kalend. Augusti apud Carol. Sigonium, aut 6<sup>to</sup>. Kal. ejusd. mensis juxta Baronium ad Petrum Abbatem Cassinensem, uti & ad Archi-Episcopum Capuanum, item ad Richardum Cantuariensem, referente Rogerio in *Annal.*, in quibus recensentur ea, quæ Venetiis peracta illis diebus, nihil tamen in iis continetur de conculcato Imperatoris collo. Frustra autem quis excipiet; quasi Papa suam propriam ignominiam propalare noluerit. Si enim id publice in conspectu tot millium hominum in urbe amplissima contigisset, quod narratur; non occurrit ratio, cur uni alterivè absenti illa triumphalia Papa non indicasset.

Sed ut detur Pontificem gestæ rei dedecore absterritum eandem Epistolis suis inserere: quia tamen Scriptores contemporanei, & quorum aliqui tunc receptioni interfuerunt; cunctaque oculis spectarunt, quæ Alexander & Fridericus peregerunt, insolitæ & maximâ notâ dignæ actionis nullam prorsus injiciunt mentionem; dubium esse nequit, quin in Historiam, alias eorundem Synchronorum testificatione in omnibus firmam & sinceram, malefactorum deinceps figmentum irrepsit: quod aliqui subsequentium temporum obscuri nominis minusque accurati veritatis inquisitores adoprârunt. Observatu dignissimum hîc venit, quod *loc. cit.* scribit Eminentissimus Baronius. *Accidit namque iis* (quod vitari posse perdifficile esse didicimus experimento) *ut, quo præclarior de rebus præclarissimè gestis sit Historia conscribenda, sæpe irreat in Authorem quod sine Authore vulgatum fertur, quidpiam*

*fabulosum; quod ipse Scriptor prætermittere expavescat, ne, contradicentium grandine pulsetur: sicque fiat, ut falsa admixta veris eodem decore tituloque gloriæ fulgeant, atque mendacium veritatis, ut gemma vitium, nomen obtineat; & pari pretio æstimetur, atque cupientibus distrabatur: & quo nomine semel acceptum eodem ad posteros tanquam paterna hereditas transmittatur: tenacius possessum non libenter amittat; quod, face veritatis admota, contrarium deforme esse mendacium arguatur.* Atque imprimis Romualdus Archi-Episcopus Salernitanus Siciliæ Regis Legatus Venetias pro pace procuranda missus, cuncta quæ tunc per Pontificem gesta sunt, exactissimè scripsit in fine Chronici à se compositi à Mundo condito usque ad Annum 1177. ubi ea, quæ tunc præsens actui reconciliationis conspexit, testata reliquit; atque à Baronio descripta ex duobus Codicibus Salernitaræ & Vaticanæ Biblioth. In utroque legitur; quod, cum Fridericus ad Papam appropinquasset, Deum in ipso venerans, Imperiali Dignitate postposita, relicto pallio, ad pedes Pontificis totum se extenso corpore, inclinaverit; quem Alexander Papa cum lachrymis elevans benignè receperit, osculatus fuerit & benedixerit. In neutro autem de fastuosa conculcatione quidpiam est reperire: Floruit quoque ea tempestate insignis Annalium Anglicanorum Scriptor Rogerius, qui quæ illa accuratè notavit, quæ suo tempore in Europa contigerunt. Friderici collum pedibus pressum non conscripsit; quia non contigit. Conservat præterea Parentii in Istria Episcopale Tabulinum Codicem vetustum MS. pergamenum, in quo refertur, quomodo Imperator venerit ad civitatem Veneram ad pedes Domini Papæ, non autem ab his protritum fuisse. Demum acta vetustissima Vaticanæ Bibliothecæ Annalibus Baronianis inserta perhibent Fridericum deposita Chlamyde, se in terram prostrâsse, & de osculatis Papæ pedibus, tanquam Prin-

cipis Apostolorum Successori verè pacis osculum ipsi devotissimè dedisse, decantata Missa Pontificis dextram apprehendisse, extra Ecclesiam usque ad album caballum ipsum deduxisse, & strequam stapham scilicet (stapedem) fortiter tenuisse. Cum autem frænum acciperet & stratoris officium vellet adimplere, Pontifex; quia iter ad mare nimis prolixum videbatur; pro facto habuerit, quod affectuosè voluit adimplere; obricitæ autem cervicis seu concussi capitis nulla inibi fit mentio.

Multi factum negant ex silentio Guntheri, qui Friderico fuit familiaris: sed argumentum illud non stringit; quandoquidem Guntherus plura alia prætermittit per hunc Imperatorem gesta; hujusque vitam integram non conscripsit; sed in Cremonæ excidio, quod in Annum 1160. incidit, carminis finem fecit, congressus Pontificis & Imperatoris apud Venetos, Expeditionis Hierosolymitanæ & reliquam triginta annorum Historiam minimè refert; quia ante hæc tempora opus suum finivit, ut & Otto Frisingensis, ejusque Continuator Radevicus Canonicus fecerunt. Frustra quoque provocatur ad Nicephoræ Choniadis silentium, cui propositum non fuit fortunam resque gestas exequi, nisi quatenus Orientalibus immixtæ sunt.

Satis superque sine horum suffragio inane commentum esse, quisquis sano judicio pollet, deprehendet: tantoque minus fide dignum cuique videbitur; quanto magis constat qua patientia, longanimitate, mansuetudine, industria & prudentia tot annis in hoc ipsum laboraverit Alexander, ut Fridericum ad sapiora adduceret, quem jam absolutam, & in Ecclesiam receptum impertinentibus ac ineptè applicatis verbis exasperasset, animique vulnus, cui jam obduci cicatrix cœperat, imprudenter refricasset. Quare fuerit Pontifex ille laudabilissimus animi demissionis & moderationis, benigni-

nitatis, lenitatis, paternæque charitatis ad alliciendos ad pœnitentiam refractarios, & ad curandos ipsos pœnitentes omni genere obsequii & indulgentiæ, legero est in Annalibus: ut proinde à verò longissime absit, quod in contrarium narratur; quo certè prudentiæ laude celebratissimus Papa illius Pythagorici immemor. *Ignem gladio ne fodio*, ignitum sibi pernitiolum cievisset è conculcato vertice fumum, cujus animum lenibus aliquantisper jam placaverat alloquiis. Futile est, quod Millonius contra Baronium infert; Alexandrum, cum in exilio esset, permisisse, ut Ludovicus junior Rex Galliæ; itemque Henricus II. Rex Angliæ de equis suis descendentes, arrepto fræno equi, cui insedebat, se in palatium ducerent, adeoque potuisse, victis jam hostibus, iteratò hoc fieri. Siquidem & Fridericum Anobaram hoc fecisse acta probata habent; conculcatum pedibus fuisse non produnt; neque hoc ex illo deduci poterit. In questionibus facti, de quo Controversia moveretur, conjecturalia argumenta exigui sunt valoris. Sed neque validiora sunt, quæ in propugnationem asserti hic adducuntur.

Ad Primum Respondetur, Perperam fallaces vanique in rem suam interpretantur conjectores verba Epistolæ ab Alexandro scripta: siquidem illis non aliud intendit, quam æquum justumque esse, ut Imperator, fidelium Cœtui associandus, humilem se præbeat Ecclesiæ Pastori & supremo Capiti. Apud S. Joannem Capistranum legitur, *Confiteantur Teutonici, Imperatorem decere cervicem submittere pedibus Pontificis*. Quæ verba nihil aliud significant, quam hoc: Fas esse, ut Imperator inclinata cervice prosterнат se & advolvatur pedibus Pontificis; quod etiam abs Friderico, cum absolutionem peteret, factum esse novimus. Quare ex verbis memoratis Papæ nulla probabilitate conijcere licet, quod collum Imperatoris conculcare prætenderit; sed insinuare voluit, quod

quod is, cui applicari poterat illud *Iſaia cap. 48. Durus es tu, & nervus ferrens cervix tua; & frons tua aëra*, debeat vim inferre, & suasionibus Sathanæ resistere. Quomodo Germani dicunt. *Trette dem Teuffel auff die Seele.*

Baronius quidem negat acta illa esse integra, quia sine carent; exinde tamen non bene inferitur, in ea parte, quæ temporis injuriâ perit, factum relatum fuisse; quod eadem facilitate ab aliis negatur. Idem Cardinalis ad Bibliothecam Vaticanam provocat; ac tot iudicibus se obnoxium reddit, quot Italici, Germanici, Gallici, Belgici ad hunc usque diem paruit.

Ad Secundum Respondetur. Prudentibus merito admodum imbecillia sunt argumenta pictoria, quibus minime sufficiunt fucata coloribus imagines à licentiosa arte confecta. Veteres enim canebant.

*Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.*

Quare infirmo nitantur tibicini Loredani aliique, qui ex hac potissimum pictura sui asserti veritatem desumunt; sed quæ non nisi Anno 1229. id est annis quinquaginta duobus post prætenlam conculationem facta est. Testatur parem picturam Senis esse, cujus & inscriptionem adfert, sed quæ adorationis tantum meminit, non colli calcati; licet & Urbanus VIII. hanc postea etiam mitigandam curaverit. Quæ autem *loc. cit.* de pictura Veneta observat Misson, quod Alexander exhibetur humerum Cæsaris premens leniter, adeo ut nullus in depicto Pontifice observari possit indignationis affectus, quodque rationi magis congruat, ut quis huic adhæreat imagini, quam falsis phantasmatis in proprio cerebro formati; responsum non meretur. Rerum sagaciores hieroglyphicum deprehendunt, quo significatur post tam diuturnum schisma tandem à Pontifice superatum fuisse Leonem generosissimum, qui toti mundo indomabilis videbatur. Qua ratione videmus Luciferum

dejectum sub pedibus S. Michaëlis, quo exhibetur, post prælium magnum in celo Michaëlis Archangeli cum Dracone illura fecisse victoriam.

Dum non ira pridem in familiari colloquio cum Clarissimo Domino Hildebrando Withofio Historiarum, L. G. & Eloq. Professore in Academia Duisberg. de quaestione hac vexatissima tractarem, atque inter cætera assererem, plurimos è Protestantibus primæ notæ Scriptores factum Alexandri negare; candidè reponebat. Idem meum iudicium est; & falsissimum esse convictus sum. Nec diu post 11<sup>ma</sup> die Februarii 1733. has ad me, in rem egregie facientes è Mulsæo exaravit litteras, quas subijcio. *Omnes Scriptores, qui narrationem de calcato Friderici I. Imperatoris per Alexandrum Pontificem collo tradunt, tantummodo nituntur pictura illa Venetiis existente, ut ajunt, non aliis fundamentis, si accuratè inquiras Vir plurimum Reverende. At vide, quam differant hominum iudicia. Ego in hac ipsa pictura potissimum de rei falsitate convincor; scilicet pictum hoc fuisse fictumque non factum revera. Quis enim talia unquam audivit? De Duce Albano Ferdinando De Toledo legimus ante 150. annos circiter statuam suam ex are occupatorum tormentorum formandam curasse, quæ talis erat, ut omnes Genios, hereticosque, ut vocant, videretur pedibus conculcare. Et quis adeo stolidus est; ut putet reverà hoc contigisse; cum certum sit symbolicam hanc imaginem fuisse ad significandam devictionem hostium quam jactabat? De præcedente Rege Gallie Ludovico XVI. constat, pretiosissimo marmora effigiem suam efformandam curasse, ita ut omnigenarum nationum homines conculcet. At hoc ille revera non fecit. Nemo autem, tam stupidus est, qui sensum talis effigiei ignoret. Omni tempore apud omnes gentes, præcipuè verò apud Italos & Romanos hac consuetudo fuit, ejusmodi imaginibus &*

*picta-*

488 DE ALEXANDRO III. CONCULCANTE COLLUM FRIDERICI IMPERAT.  
 picturis insulare hosti victo. Locus est vehe-  
 menter notatu dignus apud Lactantium in  
 Libello de Mortibus Persecutorum cap. 5. Audi  
 verba. Loquitur de Valeriano Imperatore à  
 Sapore Perfarum Rege capto. Sic autem loqui-  
 tur notanter. Non multo post Valerianus  
 quoque non dissimili furore correptus im-  
 pias manus in Deum intentavit; & mul-  
 tum, quamvis brevi tempore, iusti sangui-  
 nis fudit. At illum Deus novo ac singulari  
 pœnæ genere affecit; ut esset posteris docu-  
 mentum, adversarios Dei sæpe dignam sce-  
 lere suo recipere mercedem. Hic captus à  
 Persis, non modo imperium, quo fuerat in-  
 solenter usus: sed etiam libertatem, quam  
 cæteris ademerat, perdidit, vixitque in ser-  
 vitute turpissima. Nam Rex Perfarum Sapo-  
 res, qui eum cæperat; si quando libuerat aut  
 vehiculum ascendere aut equum, inclinare  
 sibi Romanum iubebat ac terga præbere; &  
 imposito pede super dorsum ejus. **ILLUD  
 ESSE VERUM DICEBAT, EXPRO-  
 BRANS EI CUM RISU, NON QUOD  
 IN TABULIS AUT PARIETIBUS RO-  
 MANI PINGERENT.** Hac Lactantius,  
 ubi videri potest Christoph. Cellarius in notis.  
 Apertum est Romanos ita sœvisse ignominio-  
 sas picturas consingere: sed: quæ præter igno-  
 miniam nihil veri continerent, solamque sub-  
 missionem notare solerent. Ita postea hic usus  
 mansit duratque adhuc sæpe apud Reges Prin-  
 cipesque nostro tempore, ut in principio dixi.  
 Sed quis inde veram Historiam consinxerit?  
 Apage ejusmodi nugas. Adducam adhuc ali-  
 um locum Arnoldi Lexoviensis Episcopi, qui  
 hoc ipso Friderici I. & Alexandri III. tempore  
 vixit; quique adhuc propius ad rem acco-  
 dit; is est Epist. 19. ad hunc ipsum Papam  
 Alexandrum pag. 22. & 23. Edist. mea Pa-  
 riensis sic autem ille loquitur. Porro schisma-  
 ta hæc in Ecclesia Romana frequentius acci-  
 disse, etiam Lateranensis Palatii picturæ de-  
 monstrant, ubi Catholicorum Patrum pe-  
 dibus pro scabello schismatici præsumptores

adscripti sunt, ubi superborum & sublimium  
 colla sapientia propria virtute conterit &  
 conculcat, &c. &c.

Ecce notatu digna verba! At quis mor-  
 talium ex iis picturis somniando elicere un-  
 quam voluit, Catholicos consuetos fuisse ha-  
 reticos ita dictos conculcare pedibus & scabel-  
 li loco adhibere? Et hæc est verissima origo  
 insulsi hujus erroris fabuleque. Exemplo sit  
 pictura de Lothario Saxone alique plures.  
 Quod verò ad phrasin calcare collum pro vin-  
 cere, domare attinet, vide Barthium virum  
 doctissi. ad Brit. Lib. 1. v. 125. Stephanium  
 ad Saxon. Grammat. in Not. p. 36.

Et hæc nova sunt meaque argumenta aliis  
 hæcenus non inventa, quibus per motus affir-  
 mo, fabulam esse quæ de calcato Friderici I.  
 Collo narrat Historici, & repeto verba La-  
 ctantii supra citata, paucis addidis.

Illud esse verum affirmo, scilicet Frideri-  
 cum I. tandem fatigatum cessisse Alexandro  
 III. eumque pro legitimo Papa agnovisse.  
**NON QUOD ROMANI IN TABULIS  
 AUT PARIETIBUS PINGERENT.** Va-  
 le, &c. &c.

Nonne vir hic ingenii acutissimi acu rem  
 tetigit? In eo compertum habetur illud,  
 quod L. Lucius ad Ciceronem Fam. Lib. 5,  
 scripsit, Eruditus oportet semper aliquid ex  
 se promat, quod alios delectet (instruat) aut  
 se ipsum laudibus illustret.

Ad Tertium Respondetur. In Historicis  
 credulus potest quævis legere, si suam imagi-  
 nationem illis accomodet. Omnino autem  
 violenter scripta à Saxone torquentur ad  
 commentum prærandicum: siquidem Au-  
 thor, qui alioquin multas congestisse fabulas  
 dignoscitur, non aliud verbis citatis signifi-  
 ficare intendit, quàm Alexandri Pontificis  
 constantia & animi fortitudine Controver-  
 siam illam fuisse terminatam, subjungens de  
 eodem. *Dividuumque Ecclesie statum Ca-  
 tholicæ concordia vinculo collegavit.* Cæte-  
 rum quemadmodum locutiones illæ. Sub-  
 mit-



mittere cervicem, collum pedibus, sunt formale alicujus submissionis: sicut calcare collum pedibus, aut proculcare cervicem hostis, non revera significat colla calcari; sed solum hostem fuisse prostratum, malum dominum terminatum, &c. &c.

Quantum ad reliquos Authores citatos monet hic, ut alibi sæpe, perquam opportunè longa experienciâ instructissimus Cardinalis Lectorem suorum Annalium; cautumque esse vult in delectu testium; ut constituat victoriam; non in numero; eo quod errantium infinitus sit numerus: sed revera sapientium; sicut vere sapientium admodum paucus est numerus.

Quantum negantium in hac Controversia fortè non minor sit numerus; allegatorum tamen nulla habenda est ratio, si conferantur cum citatis Authoribus synchronis; quia alter alterum exscripsit, expilatores verius aliorum, quam seduli inquisitores; qui præterea in rei narratione non conveniunt, sic V. G. quidam apud Sabellicum, Alexandrum Friderici collum conculcasse Festo Ascensionis Domini, quod alii in Festo S. Jacobi Apostoli contigisse memorant. Apud Ulricum Huberum legitur, quod idem refert Daniël Pareus, Chorum cecinisse aut Clerum acclamasse Davidicum versum. *Super aspidem* &c. aliis placet Alexandrum pronuntiasse, dum pedem collo, vel humero, aut capiti supplicis imposuisset. *Varia multiplex & confusa quadam res est impostura: veritas autem una.* Chrysostr. Homil. 3. ad Rom.

Ad hæc negari nequit plerisque Scriptores ex fama tunc vigente sine discussione veritatis aut suspitione falsitatis hæc chartis illinere non dubitasse: cunctis fermè notam addidisse, ex ore vulgi sese accepisse. Ipse Owo citatus, cum res inter Alexandrum & Fridericum gestas, adventum hujus Venetias & solutionem à vinculo Anathematis enarrasset. *Quibus peractis (inquit) Cardinales ei-*

*dem, ut injunctum iis fuerat Imperatorem ad Divi Marci delubrum, ubi Pontifex eum operiebatur, deduxerunt. Cumque Pontificem pro foribus templi sedentem accessisset, dejecta ex humero fulgenti chlamide, posito eum genu adoravit. Mox ad pedes provolutus, eosque exosculatus FERTUR insultanti Pontifici & Propheticum carmen: Super aspidem & Basiliscum ambulabo & conculcabo &c. &c. enuntianti: non Alexandro sed Petro ea tribuere, pervicaci dicto respondisse, Pontificem deinde, & sibi & Petro cessum ingeminasse, Paulus Justinianus Ludovici Senatoris ac Patricii Veneri filius in Historia Veneta Anno 1560. Venetiis edita, à Josepho Orologio Latine reddita scribit. Lib. 2. Alexander Friderici collo planta superposita Davidicum illud protulisse DICITUR super aspidem. Quod in tanto scriptore domestico imprimis notandum. Si enim hic ex archivis illud habere non potuerit, multò minus alii, ut Joan. Stella M. Antonius Sabellicus, cujus equidem in Historicis alias non est tuta fides, ipse pariter scribit. ADDUNT ALII QUIDAM Pontificem collo Cesaris prostratæ pedem imposuisse. FERUNT Dominica Ascensionis die id factum. Paulus Jovius utitur his verbis. TRADUNT SCRIPTORES. Neque aliter loquitur Jac. Philippus Bergomensis in *supplem. Chron.* Eodem modo rem narant Angelus Politianus *Orat. Clar. viror.* ad Alexand. VI. Joan. Nauclerus *Chronic. Volum. 3. Generat. 40.* Franciscus Modius in *Pandect. Triumphalium opere Lib. 2. cap. 5.* Imò Carolus Sigonius *Lib. 13. de Reg. Ital. p. 307.* aperte fatetur, hanc Historiam multis corruptam esse, neque dubitat, quin à factiosis conficta fuerit. Et quidam non inferioris notæ Authores volunt quod rumor ille primò sparsus fuerit eo tempore, quo scissus Orbis Christianus inter Gibelinos & Guelphos, quorum hi Pontifici, illi autem Imperatori adharebant. Ab his factionibus spargebantur & divulgabantur pleraque, quæ adver-*

adversariis patitura dolorem credebant. Nihil proinde periculosius, quam vel tantillum dare istorum temporum famæ turbidæ & mendaci. Rationibus & testimoniis certis ac irrefragabilibus in Historicis agendum.

*Adversus verba, qua sunt contraria menti*

*Somnia, qua quisvis sibi jam spontanea fingit.*

Nil magis absonum & insulsum, quam illud. Fama viget, Rumor est, Murmur vagatur &c. Ergo verum est. Fama, uti commemorari potest; ita pro certa, fidelis & approbata testificatione nequaquam accipi potest neque debet. Fama est rumor sine Authore: sed ut Simmachus *Lib. 9. Epist. 99.* Omnia quæ sine Authore jactantur incerta sunt: quarum nullam curationem. *Lib. 2. Epist. 43.* habendam esse opinionum scribit, Hoc ipsum pariter animadvertunt omnes & exigunt, quotquot legitimam Historiam condiderunt, & regulas scribendi tradiderunt. Herodotus in *Melpomene* fabulam de Pnyllis relaturus, ea, quæ Afri perhibebant se memorare ait: & in *Polyhymnia* totius suæ Historiæ patrocinium parans. Ego inquit, qua fando cognovi, exponere oratione mea debeo: omnia autem credere vera esse non debeo. Similiter Pausanias *Lib. 6.* prohibetur. Et quidem qua vulgarunt hac de re Græci necesse habui commemorare; credere autem hac omnia nulla res me cogit. Eundem in modum scribit Curtius alibi citatus, qui *Libro eodem cap. 2. §. 14.* ait. Fama est. Ea tradente omnia majora sunt vero. Verissimè Tertullianus *Apol. cap. 7.* Fama ne tunc, cum aliquid veri asserit, sine mendacii vitio est.

Porro sicut schismaticorum universale Græcorum hac de re silentium falsitatis censeferi debet argumentum; qui alias referte non omisissent, quidquid minus decens in Pontifice Romano observatum fuit: ita infi-

cientium è Protestantibus accessus Scriptorum celebrium Historiam illam mendacis asperam ulterius probat. Inter hos recententur Conradus Rittershusius in *Not. ad Jovis Frideric.* Georgius Remus Cancellarius Altorff. Acad. in *Dissert. Anno 1625. impressa*, Matthias Berneggerus in *Quæst. Historico-politicis 1626. editis.* Georgius Hornius. in *Orbe Imperante*, ubi argumentatur à magnitudine Imperatoris, qui tale probum passurus nequaquam fuisset. *Pag. 27.* ita loquitur. *Hæc vulgaris traditio, quam pictura in palatio Veneto representant. Alie factum negant, quorum potior videtur esse sententia. Non enim credibile visum fuisse Papam tam contemptum habere armatum Imperatorem, vel tantam contumeliam lauros fuisse Germanos &c.* Philippus Caroli antequam ejurato Lutheranismum Catholicam Religionem professus fuisset in *Animadversionibus A. Gelli Lib. 3. cap. 11.* hac de re ita scribit. *Commentum esse putidissimum Georgius Remus J. C. singulari Dissertatione de hac re Altorffii 1625. habita contemdit.* &c. Ibidem hanc narrationem in numerum aliarum fabularum refert; qualis sint, Donatio Constantini, ejusdem Lepra & remedium, Justiniani maculæ, Belisarii ruina, Joannis VIII. Papæ puerperium, Hattonis Moguntini crudelitas, & plures aliæ. Joannes Georgius Grævius, quondam Duisburgensis, postea Ultrajectinus Professor *Epist. 12. ad Marquardum Gredium.* Sic rem prosequitur. *Vidistine vitam Alexandri III. a Francisco Loredano scriptam? Fertur is exactus sue patriæ accurate persecutus esse fastidium illius Pontificis in conculcando collo Friderici Abenobaris: quam ego fabulam dudum credidit explosam esse, &c.* Godef. Guilielmus Leibnizius Polyhistor celebratissimus in *Miscell. Leibnizianis.* à Fellerio editis *pag. 419.* sic eruditè ait. *Fridericum Barbarosam ab Alexandro Papa conculcatum, nemo scriptorum, qui illo ævo vixerunt, prodidit.*

Baronius

Baronius hoc commentum jam pridem confu-  
tavit, ut & Contelorius in Narratione con-  
cordis inter Alexandrum III. & Fridericum  
I. De ejusmodi erroribus epidemicis in Histo-  
ria & eorum origine peculiaris liber conscribi  
posset, ut Secundus Lancellotus Abbas per-  
tractavit... Deinde hinc fabula comparat ali-  
lias, V. G. de Attila septima, turre murium,  
Exitu puerorum Hamelensium &c. &c. Lu-  
dovicus Leibhardus Apolog. pro Frideric.  
Imp. quem à Romano Pontifice &c. Ba-  
rauthi 1668. Hofmannus Dissert. de Tyrann.  
ignominia quam Friderico &c. Lipsia Anno  
1673. Christophorus August. Heumannus  
Dissert. de Frideric. Imperatore à Pontifice  
&c. Joan. Burchard: Majus Professor Kilo-

nienfis Disquisit. de Friderico I. Imp. ab  
Alexandro III. &c.

Hæc de cervicosi Friderici conculca-  
ta cervice, quam ab aliquibus sæcu-  
lis multum decantatam & populari  
aura receptam Historiam Veritas spi-  
ritu suo difflavit quasi ventus folia.

*Audientium opinionem ca-  
lumnia quidem aliquantis-  
per confirmat; progressu vero  
temporis nihil ipsa imbecillius.  
Demosthenes apud Stob. Serm. 49.*

